

actu, sed etiam non eam admittere, et non venire, rejicere est.

Tertius autem motus ad postremum pertinet, nec sine adiutorio gratiæ haberi potest, quoniam gaudere de vocatione Dei, initium est bonæ voluntatis, piique affectus erga Deum; et licet non sit absolute venire, tamen est inclinari ad veniendum, et quasi itineris inchoatio.

Octava sententia. « Neque gratia excitans, neque adjuvans, ullam imponit homini necessitatem, quominus possit libere consentire, aut dissentire Deo vocanti ». Nam in primis gratia excitans, si solum sit sufficiens, non autem efficax, rejici potest, et re ipsa rejicitur, ut experientia docet. Si vero sit efficax, non rejicitur unquam neque potest rejici ex hypothesi, sed absolute rejici potest, ut ostendimus capite superiore; et ratio est, quoniam gratia, quantumvis efficax, nihil est aliud, nisi suasio, quæ non determinat voluntatem, sed inclinatur per modum proponentis objectum. Sed ideo nunquam rejicitur, quia Deus sic suadet, ut videtur aptum esse homini, ut suasori acquiescat.

Gratia vero adjuvans tribus in rebus consistit. Primo, in directione hominis. Secundo, in protectione ejusdem, contra varias hostis nostri diaboli impugnationes. Tertio in cooperatione intrinseca, ad eliciendum actum cum ipsa voluntate. Et quidem directio et protectio nullam imponunt necessitatem, cum non attingant ipsum actum liberæ electionis, sed tantum removeant impedimenta. Cooperatio autem illa intrinseca non alio modo concurrat, quam auxilium generale. Sicut enim ad opera naturalia faciendâ necessarium est auxilium generale, sic ad opera supernaturalia auxilium speciale: et sicut illud nunquam deest iis, qui habent formas naturales, per quas operari queant, ita neque hoc deest unquam iis, qui habent formam supernaturalem, id est, habitus infusarum virtutum, vel certe gratiam excitantem: et sicut denique auxilium generale ita concurrat cum omnibus rebus in actionibus naturalibus, ut tamen non impediat libertatem et contingentiam, ut ostendimus in quarto libro hujus disputationis, ita speciale auxilium adjuvans ita concurrat ad omnes actiones supernaturales, ut non impediat hominis libertatem; quoniam eodem prorsus modo auxilia ista concurrunt, ut recte docet Ruardus Tapperus in explicat. art. 7.

Neque hoc negari potest a Catholicis, salva Concilii Trid. auctoritate, quod disertis verbis in 6. sess. cap. 5 et can. 4. docet, hominem excitatum et adiutum, libere moveri in Deum, quoniam vocationem Dei et recipere et rejicere potest. Sed refutandæ sunt distortæ quædam hujus canonis explicationes.

Dicunt enim aliqui hominem libere moveri in Deum, cum ab ejus gratia excitatur, et adjuvatur, quoniam sponte, et cum pleno, atque perfecto iudicio rationis movetur, tametsi necessario moveatur.

At Concilium non solum dicit, hominem libere moveri, sed etiam adjungit rationem: quia potest gratiam non recipere, et vocationi resistere, quod certe non posset, si necessario moveretur. Deinde, nonne beati, qui Deum vident, sponte feruntur per amorem in Deum, et cum pleno, atque perfecto iudicio rationis, et tamen ex communi sententia Theologorum non libere moventur, quia non possunt non moveri? Denique Calvinus ipse, qui præter cæteros hujus temporis hæreticos, liberum oppugnat arbitrium, non negabit, hominem libere moveri in Deum, si hoc sit libere moveri, sponte et cum pleno iudicio rationis moveri. Sic enim loquitur in lib. II. adversus Pighium: « Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, et constanter assevero, et pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat ». Quid igitur Concilium contra hæreticos hujus temporis laboravit in canonibus condendis, si Calvinus nobiscum sentit, aut nos potius cum illo sentimus?

Dicunt rursus, hominem posse dissentire, si velit, sed tamen non posse id velle, si gratiam Dei habeat; et hanc ipsam sententiam fuisse Concilii.

At concilium non solum dicit, posse hominem dissentire, si velit, sed etiam dicit absolute, posse hominem gratiam Dei excitantem abjicere, ut patet ex cap. 5. sessionis sextæ. Deinde, non posse velle dissentire, pugnat omnino cum libero arbitrio, si ponatur (ut adversarii ponunt) ideo non posse velle dissentire, quia gratia determinat voluntatem active, et intrinsece ad contrarium. Nos quidem supra sæpe diximus, posse hominem credere aut diligere Deum, si velit, non tamen posse velle sine adiutorio gratiæ. Sed hoc recte dicebatur, quia liberum arbitrium ad bonum est infirmum, et ideo indiget adiutorio; sed adiutorio præstito, dicebamus, posse hominem velle et non velle,

et eo modo vere ac proprie esse liberum. At si gratia Dei præsentem, non potest homo velle dissentire, ea vero absente, non potest velle consentire, nulla est arbitrii libertas, neque ab hæreticorum opinione receditur.

Dicunt iterum, posse hominem, juxta Concilii decretum, consentire et dissentire, quia potest fieri, ut habeat gratiam, et potest etiam fieri ut non habeat gratiam. At hoc non facit hominem liberum, sed Deum, qui pro arbitrio gratiam tribuit, vel non tribuit. Alioqui dici posset liberum etiam jumentum, quia potest currere et non currere, si placeat sessorii calcaria adhibere, vel non adhibere, et habenas laxare, vel non laxare. Sed respondent, jumentum nunquam posse dici liberum, quia naturaliter determinatur ad unum; homo vero non naturaliter, sed beneficio gratiæ determinatur ad bonum.

At nos non quærimus nunc, unde tollatur libertas, ex natura, an ex gratia, sed, an tollatur, et an sit verum, quod Scriptura dicit, Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere malum, et non fecit; et quod Concilium dicit hominem libere recipere gratiam internæ inspirationis, quoniam eam rejicere etiam potest. Quidquid enim sit de Deo et beatis, qui peccare non possunt, Ecclesia Catholica in hominibus mortalibus, secundum Scripturas divinas, et communem Patrum consensum, eam libertatem defendit, per quam possint bene agendo mereri præmium, quia poterant non bene agere; et male agendo mereri pœnas, quia poterant non male agere, ut in 4. et 5. lib. satis abunde monstravimus.

Dicunt postremo, Concilium loqui de gratia excitante, non de adjuvante, cum dicit, posse ab homine gratiam rejici et posse hominem dissentire, si velit: se autem non gratiam excitantem, sed adjuvantem asserere ita efficacem, ut voluntatem determinet, et rejici non possit.

At isti falluntur primum in eo, quod gratiam efficacem putant esse gratiam adjuvantem, cum secundum Scripturas, et sanctum Augustinum, gratia efficax sit ipsa vocatio, sive excitatio secundum propositum, ut copiose probavimus in lib. I. cap. 12. Unus hic locus sufficiet ex lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 5. « Ut Paulus, inquit, tam magna et efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola ». Ubi vides, gratiam efficacem esse ipsam vocationem. Quæ autem fuerit illa vocatio, explicat idem Au-

gustinus in lib. I. ad simplicianum, extremo: « Una, inquit, desuper voce prostratus, Paulus videlicet, occurrente utique tali viso, quo mens illa et voluntas, refracta sævitia retorqueretur et corrigeretur ad fidem ». Gratia igitur efficax in conversione beati Pauli fuit vox de cælo, cum interna tali inspiratione et suasionem, qualis congruebat, ut Paulus eam non sperneret. Vide locum citatum, ubi perspicue hæc veritas demonstratur.

Neque solum in eo labuntur isti, quod gratiam efficacem in adjuvante, non in excitante constituunt; sed etiam in eo, quod dicunt, excitantem gratiam respui posse, non adjuvantem. Nam, cum ad hoc detur adjuvans, ut excitans non respuatur, sed ei consentiatur: quomodo potest respui gratia excitans, si respui non potest adjuvans? Adde quod si proprie loqui velimus, recipi et rejici, non potest convenire gratiæ adjuvanti, quia gratia adjuvans non est aliquid, quod homini offeratur, sed est ipsa productio actus, quæ non est, nisi quando actus producitur, quando autem actus producitur, non potest fieri, ut non producat, et in hoc sensu non potest rejici gratia adjuvans, sicut nec ipsa cooperatio nostra, quæ sunt omnino simul. Et ideo Concilium non dixit, posse rejici gratiam adjuvantem, sed solum excitantem.

Sed quamvis gratia adjuvans, proprie loquendo, non possit rejici, tamen adhuc remanet quæstio, an operatio illa Dei, determinet prius naturam voluntatem nostram, nec ne. Nam si non determinat, ut nos probavimus in IV. lib. ferè extremo, in nostra potestate est, ut ea gratia ponatur vel non ponatur, et sic in quodam sensu potest rejici; quomodo auxilium generale in nostra quodammodo potestate est, et in quodam sensu potest rejici, quia si volumus operari, ponitur; si nolumus, non ponitur. At si gratia illa determinat prius naturam voluntatem nostram, tunc quidem in nullo sensu potest rejici, sed tollitur libertas arbitrii, ut loco citato satis probasse nos credimus.

Nona sententia: « Fieri potest, ut eadem motione interna duobus adhibita, unus convertatur, et alius non convertatur, et unus magis, alius minus proficiat ». Hæc est Ruardi Tapperi loco citato, et colligitur ex iis, quæ ante dicta sunt. Nam motio divina relinquit hominem plane liberum, ut possit converti et non converti, et magis minusque proficere. Et confirmatur

ex parabola seminantis, Matth. XIII. ubi Dominus causam diversitatis, cur idem semen alicubi multum, alicubi parum, alicubi nihil omnino profulerit, refert in variam terræ dispositionem. Denique accedit etiam communis piorum confessio, qui negligentiam suam accusant, et ingenue profitentur, se non tantum proficere, quantum possent, si gratiæ divinæ majori studio cooperarentur.

Dices, si res ita se habet, poterit, qui convertitur, aut qui magis proficit, gloriari adversus alterum, qui ex eadem vocatione et auxilio converti noluit, aut minus proficere studuit. At id est contra illud Apostoli I. ad Corinth. IV. *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti* (1)?

Respondeo: qui non convertitur, aut minus proficit, merito poterit negligentiam suam accusare, quod gratiæ divinæ cooperari noluerit: qui vero convertitur, aut magis proficit, non habet unde gloriatur, nisi in Domino, quoniam dono Dei habuit, non solum posse converti, et proficere, ut alius, sed etiam velle converti, et magno fervore proficere. Tametsi enim eadem fuit motio in utroque, quod attinet ad substantiam motionis, tamen uni fuit congrua, alteri non fuit. Et quoniam gratia Dei singularis est, ut dignetur ita movere hominem, sicut videt congruum atque aptum esse illi, ut persuadeatur, atque consentiat, ideo non diximus, posse fieri, ut unus convertatur, alius non convertatur, si eadem utrique gratia doneatur; id enim falsum esse censemus. Sed si eadem utrique motio adhibeatur. Potest enim, ut diximus, eadem motio uni esse congrua, alteri non congrua, ac per hoc uni dari ut possit, alteri ut possit et velit.

Decima sententia. « Conversio hominis ad Deum, ut etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus a libero arbitrio est tantum, non tamen secluso auxilio generali; quatenus pium, a sola gratia est: quatenus opus pium a libero arbitrio et gratia simul ». Hæc est ejusdem Ruardi ibidem. Et probatur, quoniam causa efficiens actionis humanæ, ut est actio, est ipsa voluntas hominis; ut est libera, est libertas arbitrii; ut est pia, est divinum semen, et auxilium tali semini conveniens. Proinde gratia solum facit, ut actio humana sit talis, id est, pia et supernaturalis, ad quod sane viribus suis numquam ipsa natura pertingeret.

(1) I Corin. IV, 7.

Undecima. « Ad opera, quæ sequuntur actum conversionis tam interna, quam externa, id est, ad opera pœnitentiæ, quibus ad justificationis gratiam præparamur, non videtur requiri necessario nova aliqua gratia, sed solum continua directio, et protectio, et conservatio divini seminis jam concepti et formati ». Est Ruardi ibidem, et probatur, quoniam posita voluntate efficaci, non est dubium, quin cætera opera necessario consequentur. Nam qui vult efficaciter vitam mutare, orare, jejunare, eleemosynas dare, continere se a deliciis et voluptatibus, ista omnia non difficulter exequitur. « Certum est (inquit Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 16.) nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus ». Et infra: « Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbens vires efficacissimas voluntati ». Et in lib. VIII. Confess. cap. 9. totam causam, cur non posset abdicare a se carnis voluptates, eam fuisse dicit, quia non plene volebat.

Adhæc, sicut in operibus mentis, ex principiis cognitis, possumus discurrendo conclusiones colligere. Sic etiam in operibus voluntatis ex amore finis, sive naturaliter excitato, sive ex divina inspiratione concepto, possumus sine dubio, absque nova inspiratione progredi ad inquisitionem, et electionem mediorum. Gratia siquidem non tollit aut impedit, sed juvat ac perficit naturalem efficaciam liberæ voluntatis. Qui ergo Deo misericorditer prævenienti et vocanti acquiescens, firmissime statuit mutare vitam, poterit sine novæ gratiæ inspiratione inquirere et accipere media ad hoc utilia, modo, ut diximus, non desit divinæ directionis ac protectionis auxilium.

Neque repugnat hæc sententia definitioni illi Ecclesiasticæ, quam refert S. Augustinus in epist. 106. quod gratia ad singulos actus detur. Significatur enim ea definitione, nullum esse posse pium actum, qui non sit donum Dei, et non oriatur ex gratia, sed ex solis naturæ viribus. Id quod nos libentissime confitemur. Nam opera bona, quæ conversionem sequuntur, omnia dona Dei sunt, et ex gratia oriuntur, tum quia imperantur a bona voluntate, quam Deus in nobis per

gratiam prævenientem præparavit et fecit; tum etiam quia sine speciali Dei directione et protectione non fiunt.

Duodecima sententia: « Habitus gratiæ justificantis a solo Deo infunditur, non tamen sine prævia dispositione nostra ». Hæc certissima est, quoniam habitus gratiæ divinæ qualitas est, quæ non educitur de potentia naturali, sed per quamdam quasi creationem producitur. Solus autem Deus res creare potest. Itaque S. Augustinus in Psal. CXVIII. concion. 26. tractans illud: « Feci judicium et justitiam », distinguit justitiam actualem, quam faciunt qui justus sunt a justitiæ virtute, qua justus sunt, ac de ista posteriore loquens: « Quis, inquit, facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium? »

Ex quo sequitur (ut Ruardus loco citato sapienter admonuit), cum gratia præveniens semini comparatur, non fieri similem gratiam illam seminibus herbarum, quæ virtute continent formam rei producendæ; sed semini humano, quod non continet virtute formam humanam, id est, animam rationalem, quæ a solo Deo creatur, sed dispositiones tantum ad eam formam recipiendam. *Renati*, inquit B. Petr. in epistol. 1. cap. 1. *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei* (1). Itaque sicut in humana generatione, ex vi seminis disponitur, formaturque materia, ut fiat apta ad animam ex divina creatione, atque infusione recipiendam: sic etiam ex vi gratiæ excitantis et adjuvantis, disponitur anima peccatoris, ut ei gratia justificationis divino munere infundatur. Porro de gratia justificante in sequenti disputatione, Deo propitio disseremus.

Tertia decima sententia: « Homo justus

potest, quando vult, justitiam tam internam, quam externam, exercere, id est, bona opera facere, ac præcepta divina servare, neque indiget ordinarie nova gratia excitante, sed solum adjuvante ». Colligitur hæc sententia ex superioribus. Nam si potest homo, nondum justificatus, ex semine bonæ inspirationis producere fructum conversionis, et operum pœnitentiæ, quanto magis ex semine gratiæ, gratum facientis, producere poterit fructum justitiæ, et operum bonorum? Habetur id præterea disertis verbis positum in canone postremo Coacilii Arausiani.

Diximus autem « ordinarie », quoniam non est negandum, in arduis quibusdam operibus exigi nova et specialia auxilia gratiæ. Requiritur autem in omni opere bono et pio, gratiam adjuvantem, id est, dirigentem ac protegentem, nec sufficere gratiam justificantem, docent Scripturæ, Concilia et Patres passim. Illud enim Joan. xv. *Sine me nihil potestis facere* (2), dictum est Apostolis, qui sine dubio justus erant, ut notat S. Augustinus in lib. de corrept. et grat. cap. 1. Et illud: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (3), Psalm. CXXVI, intelligunt Hilarius in comment. hujus Psalmi, et Ambrosius lib. II. in Luc. de anima justus, quæ sine divina protectione non potest tentationi resistere. Concilium Arausianum can. 19. « Non potest, inquit, natura humana, sine gratia salutem custodire, quam accepit ». Quod idem docet Cælestinus in epist. ad Gallos, cap. 6. et S. Augustinus in lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 6. et de corrept. et grat. cap. 12. et alibi.

(1) I Pet. I, 23. — (2) Joan. XV, 5. — (3) Psal. CXXVI, 1.